



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Sacerdos ab omni auaritiæ suspicione abesse debet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

gionis frequentent. Remissis hominibus, quiq;
in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigidè se
gerunt, præcipiet, ut adeant templa, diuinisque
officijs assistant, multasq; usurpent orationes.

Blasphemis quales iniungenda pœnitentia.

At verò blasphemis, & sacrilega lingua in
Deum, & Sanctos petulanter maledicis, pœni-
tentias graues & difficiles iniungent, quæque
culpæ grauitati respondeant, qua in re Canonis-
bus sacris, Pontificijs Decretis, Concilio Late-
ranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis sese
conformabunt. Verum bac in parte integro iu-
dicio & personarum dele&tū vtentur: non enim
omnibus omnia conueniunt: quare non man-
dent pauperibus, ut liberaliter tribuant eleemo-
synas, neque ijs, qui diurnis sudoribus victum si-
bi, suisque quæritant, iejunia prolixa, ac simile
iudicium in reliquis pœnitentijs usurpabunt &
sequentur. Videndum est etiam, ut qui publicis
vel scandalis, vel sceleribus delinquunt, non ab-
soluantur, priusquam satisfactionem item pub-
licam, ac pœnitentiam peccato congruentem
ijs iniunxerint, ut simul cum emendatione vitæ
malefacta publica, benefactis resarciant; qua in
causa Concilij Tridentini præscriptum obser-
vabunt, ac institutionem nostram super hac re
in Primo, ac Tertio Provinciali nostro latam,
qui etiam pœnitentias publicas in alias secretas
non communabunt, nisi expressam à nobis hu-
ius rei habeant potestatem.

*Sacerdos ab omni avaritia suspicione ab-
esse debet.*

*Vt liberior sit Confessarius inexeundo of-
ficio,*

ficio, quod illi cum pœnitente est, maioreque apud eundem in auctoritate habeatur, in decernendis ijs omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, nō solum fugiet studiosè avaritiam, sed etiam omnem eius, vel minimam suspicione. Nominatim autem pecunias, vel aliquid huiusmodi pro confessionum audientia non pertinet, etiam si occasio se præbeat: ac ne signum quidem, vel minimum eius ostendat: quin potius voce, & re ipsa declareret animum se prorsus abhorrentem à talibus habere. Cùm pœnitenti iubebit, ut Missæ Sacrificium faciat vspiam peragi, nec rectè, nec obliquè significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus ijs, cum pœnitens, vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid soluere debebit.

Sed neque pecunias, aliave, quæ à pœnitente restituenda sunt, proprijs dominis in se prouinciam reddendi assumat: nisi necessitas id requirat, vt videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quod cùm erit ab eo factum, curet, vt is cui sem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, vt illud pœnitenti consignet, ac planè eo modo procedat, vt omnem speciem, consiguum avaritiæ subterfugiat.

Confessionis secretum quomodo seruandum.

Prae omnibus autem Confessarius caueat, ne verbis, vel signis, vel quoconque alio modo, peccatorem, vel peccatum ipsum, vel aliquam circum-